



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Quos fructus affert gratia baptismalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

D. Th. 3. p.
q. 63. art. 4.
ad 1.

Character, ait Divus Thomas, *directè quidem & propinquè disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus exequenda. Et quia hæc idonea non fiunt sine auxilio gratiæ; ex consequenti divini largitas recipientibus characterem, largitur gratiam, per quam dignè impleant ea ad quæ deputantur.*

Quæst. 3. Quosnam fructus affert gratia Baptismalis?

Resp. Plures: Primus est delere omnia peccata tam originalia quàm actualia, ut prædixerat Ezechiel, cap. 16. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Idem asserit Eugenius IV. in Concil. Florentino: Sacramenti Baptismi effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis. Et, ut ait Divus Augustinus, Generante carne tantummodò trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.

Secundus effectus gratiæ Baptismalis, est quod nos hæredes efficiat æternæ salutis. Martini 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.

Tertius effectus est incorporatio Christo: Per Baptismum, ait Divus Thomas, aliquis incorporatur Christo quasi membrum ipsius: sicut autem à capite naturali derivamur ad membra sensus & motus, ita à capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritualis, qui est per gratiæ influxum: & ideo consequens est, quod baptizati illuminentur à Christo circa cognitionem veritatis, & fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiæ infusionem.

D. Aug. lib.
1. De Peccatis
meritis & remissione, c. 15.

S. Tho. 3. p.
q. 69. art. 5.
in corp.

De Sacram. Baptismi. Cap. VI. 87

Quartus effectus est consecutio, seu infusio omnium virtutum & donorum. *Manifestum est, inquit Divus Thomas, quod per Baptismum aliquis consequitur gratiam & virtutes.*

D. Tho. 3. p. q. 69. art. 4. in corp.

Ultimus effectus Baptismi, est apertio janua Regni caelestis. *Dicendum, inquit Divus Thomas, quod aperire januam Regni Caelestis, est removere impedimentum, quo quis impeditur Regnum caeleste introire; hoc autem impedimentum est culpa reatus poena; ostensum est autem supra, quod per Baptismum omnis culpa & omnis reatus poena tollitur. Unde consequens est, quod effectus Baptismi sit apertio janua Regni caelestis.*

D. Tho. 3. p. q. 69. art. 7. in corp.

Quest. 4. Baptismus producit-ne eundem effectum in omnibus adultis illud suscipientibus?

Resp. Certum est, Baptismum non producere aequalem effectum in omnibus adultis, quia eum non recipiunt cum aequali dispositione. Adulti vero, inquit Divus Thomas, quia per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad Baptismum. Quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt; & ideo quidam plus, quidam minus, de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus calor qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat.

D. Tho. 3. p. q. 69. art. 8. in corp.

Quest. 5. Quenam sunt bona, quae nobis affert tertius Baptismi effectus, qui est restitutio innocentiae?

Resp. Praecipua sunt duo. Primum est remissio totius poenae debitae peccatis, unde ait Eugenius in Concilio Florentino: Effectus Baptismi est remissio omnis poenae qua pro culpa